



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.

85  
D E N O R M A

EXERCITATIO

Sub auspicio

SACROSANCTÆ TRINITATIS

in celeberrimâ

WITTEBERGENSI ACADEMIA

PRESIDE

M. ANDREA KESLERO,

Coburgo-Franco, Facultatis Philosoph.

Adjuncto,

RESPONDENTE

GEORGIO WOLFGANGO WENNERO,

Creilsheimensi Franco,

*Publicè instituta die 11. Octobr.*

horis antemeridianis

*In Auditorio Majori.*



WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,

Academ. Typogr.

---

ANNO M DC XXIII.

82

DIENST

VERZEICHNIS

DER

1744





D. O. M. A.

**R**avissimam esse controversiarum Theologica-  
rum eam, quæ est de norma ac regula fidei vitæq;  
Christiana, & Orthodoxis cum Pontificiis potif-  
simum intercedit, neminem esse arbitramur, qui  
insicias ire queat, cum si de illâ conveniretur, facile aliæ  
questiones aut decidi, aut sopiri possent. Ad eam autem  
tractandam cum fructu & explicandam dextrè, quin ap-  
prime utile sit, terminum normæ præcognoscere utpote, cu-  
jus mentio sit in ipso controversiæ statu, uberior verò usus in  
conflictu & cursu disputationis conspicitur, neq; hoc negari  
jure potest. Qua de causa constituimus hac vice operam col-  
locare ministerialem & preparatoriam in naturam termini  
normæ penitus excutiendam. J E H O V A supremus adsit  
Dux atq; Præses, veritas, finis atq; scopus, ut illo hunc asse-  
quamur. Agemus autem metodo convenienti per Theses,  
Axiomata, & Problemata.

M E M B R U M I.

THESES DE NORMÆ NATURÆ.

I. Quantum ad nomen, norma origine Græca esse dicitur, quasi  
*νόρμα* cognitio, eò quod faciat cognoscere habitudinem angu-  
lorum.

II. Est primâ impositione nomen quantitatis, pertinens ad ar-  
chitectonicam, ubi significat in specie, instrumentum, quo anguli  
exiguntur; in genere autem instrumentum, quo quantitas seu quan-  
tum aliquod mensuratur & exigitur, quomodo sub se compren-  
dit lineam, perpendicularum, & gnomonem seu normam speciatim di-  
ctam.

III. Deinde, quod plerisq; terminis quantitatem significanti-  
bus, accidit, ut numero, finito & infinito, magnitudini &c. transfertur ad



res alias & significat legem, præceptionem, ac viam rectam, ad quam alia sunt conferenda, & examinanda.

IV. Hæ leges & instituta vitæ dicuntur norma propter analogiam & convenientiam eorum cum normis architectonicis. Sicut enim quantitates ad normas exiguntur, ut cum eis convenient, eisq; respondeant: ita actiones humanæ examinantur ad instituta vitæ, sub quibus fiunt, & ad quæ adstringuntur. Unde *Hieronymus* in diminutivo normulam Apostolicæ vitæ & religionis dixit.

V. Transfertur etiam ad disciplinas, & significat principium sufficiens, ad quod omnia in disciplinis, contenta examinanda veniunt, ut, si cum eò convenient, probentur, sin aberrant, repudientur. Ita recta ratio norma est dogmatû Philosophicorum: In specie principia practica rectæ rationis norma sunt. Ethices, & sic in cæteris.

VI. Specialius ac peculiariter adhibetur eadem vox ad quæstionem Theologicam de fundamento, principio, ac regula fidei Christianæ, quâ controversitur, quidnam sit id, ad quod omnia credenda ac facienda in Theologiâ appendere & examinare debeamus. Ubi norma fidei significat id, quod cuncta continet à Christianis credenda & facienda tanquam eorum principium. Rationem hujus specialis applicationis termini propositam videre est apud *Reverend. & Excellentiss. Dn. D. Meisner. Præcept. honorand. in d. c. Pontificus scriptâ cap. 2. thesi 55. pag. 52.* nempe, quia Ecclesia ædificiû est mysticum, cujus lapis angularis Christus, architecti doctores, norma Dei verbum.

VII. Omnino norma adhibetur generatim ad significandum id, ad quod aliud examinatur sufficienter, & quod mensurat aliud, cujus est norma.

VIII. Conveniunt hæc nomina, *Norma, regula, mensura.* Regula est linea mensurans longitudes, sed generatim extenditur etiam ad alia, unde regula vitæ, disciplinarum, &c. Voluntas divina dicitur nostrarum actionum regula, & leges regulæ vitæ vocantur. Vide *Galat. 6. 16. Philip. 3. 18.*

IX. *Mensura* itidem primò ad quantitatem pertinet, & notat id, quo qualitas alterius cognoscitur. Sicut autem ipsa quantitas primò significat prædicamentalem quantitatem, & molis deinde adhibetur ad significandam perfectionem, ita etiam mensura transfertur ad quanti-

quantitatem improprie dictam, nempe perfectionis. Hinc mensura alia est *quantitas* (in specie,) alia *perfectionis*. Illa est vel *adaquationis*, cum mensurato ejusdem prorsus quantitatis existens: vel *repetitionis*, cum mensurae applicatio est repetenda, quomodo gradus est mensura circuli centum & sexaginta gradibus constantis. Haec est, ad quam per appropinquationem vel recessum judicatur de alterius majore aut minore perfectione. Unde etiam haec mensura semper perfectior esse debet mensuratis. Hoc modo homo est regula ac mensura viventium, Deus mensura est omnium rerum. Videatur. *Dn. Scheibl. 1. 1. Met. c. 25.*

X. Patet hinc, quomodo vel convenient vel differant hi termini. Si sumantur speciatim & praedicamentaliter in quantitate, *mensura* est generalius quid, *norma* & *regula* sunt specialiores, ita, ut haec sit simpliciter, linea nempe, illa magis composita, lineis constans. Generaliter autem accipiendo terminos, *norma* ac *regula* coincidere videntur, mensura autem significat specialius excellentiam & eminentiam respectu mensuratorum, cum ex thesi antecedenti constet, mensuram perfectionis importare rei praecellentiam. Haec vero non requiritur in norma ac regula, quae instrumenti rationem potius inferunt ad agens principale.

XI. Rei definitionem quod attinet, *Varinus* normam ita definit, quod sit *mensura infallibilis, nullam additionem vel subtractionem admittens*. Haec definitio proprie convenit regulae seu Canoni, deinde etiam normae, ut significat instrumentum mechanicum, per similitudinem autem referenda est ad res alias, ad quas aliae examinantur. Propter convenientiam enim fit adhibitio terminorum quantitatem significantium ad alia. Tum etiam mensurae vox amplianda est, ita quidem, ut non semper & tantum sit perfectionis vel quantitatis, verum etiam distinctionis, vel quocunque vocabulo commodiori res explicetur.

XII. Patet inde, quae in genere requirantur ad hoc, ut aliquid dicatur aliorum norma ac regula. Nimirum officium normae est mensurare mensurata, ita, ut ad illam ista exigi & possint & debeant. Deinde normae convenit certitudo ac infallibilitas, 2. unitas & indivisibilitas. Hinc jam sequuntur Canones, de quibus paulo post.

XIII. *Distinctionem* normæ unicam hic proponimus. Normæ alia est *ποινήσεως* & architectonica, alia *θεωρητικῆς* & doctrinalis, alia denique *πρᾶξεως* & moralis. Ita enim docendi gratia convenienter fieri videtur. Ita, ut instrumentum illud mechanicum, gnomon sit norma quantorum, principia disciplinarum sint norma docendorum, leges sint norma faciendorum. Meliorem proferenti grato animo cedemus.

MEMBRUM II.  
AXIOMATA DE NORMA.

I. *Omnis norma mensurat normata.*

Per normata intelliguntur ea, quorum respectu norma est norma. Axiomatis autem ratio est ex definitione normæ, in qua dicitur, quod sit mensura. Hujus autem officium est mensurare, ut causæ causare. Universale etiam est, quoniam definitio generis omnibus ejus speciebus competit, & speciei, omnibus ejus individujs. Quid verò per *τὸ mensurare* intelligitur, videndū. Si de normâ quantitativa propositus Canon intelligatur, mensurare nihil aliud est, quàm deducere in cognitionem alterius quantitatis vel per adæquationem vel per repetitionem. Sed in genere loquendo, sufficit ad mensurationem, si ad normam examinanda & exigenda sint, & exigi possint ea omnia, quæ sunt normanda, seu quorum respectu norma dicitur norma. Ut si recta ratio norma sit Philosophicarum disciplinarum, sequitur omnia Philosophica exigenda esse ad illam ipsam sine exceptione.

Elicimus inde porisma: *Ergò illud non potest esse norma, quod est insufficiens respectu normandorum.* Ratio est, quia quod angustius est & insufficiens mensurare nequit. Item: *Ergò illud, quod non continet omnia, quæ sunt mensuranda, nequit esse norma.* Intelligimus autem, *τὸ* continere non explicitè solum, sed & implicitè, non actu solum, sed & virtute.

Ulterius hoc ad usum transferimus contra Philosophiam Bellarminianam: *Scriptura sacra non continet omnia ea, quæ credi debent, vel explicitè vel implicitè secundum Bellarminum, uti post videbimus. E. secundum Bellarminum nequit esse norma, quod est contra Bellarminum, qui normam esse concedit.*

II. *Omnis*





*II. Omnis norma est certa & infallibilis.*

Ratio petitur iterum ex definitione, uti & desumi potest ex officio normæ, quod est esse id, ad quod alia exiguntur, ut de eorum veritate cognitio acquiratur. Neque enim unquam id quod fallit ac incertum est, & lubricum instrumentum, veram normam Architectonica commendabit. Ergo per analogiam aliæ quoque normæ affectionem hanc in se continebunt. Et hanc regulæ affectionem urget etiam Bellarminus l. 1. de V. Des. c. 2.

Hinc porisma: *Illud quod est incertum, fallibile ac dubium, non potest esse norma.* Ut si traditiones majorum sunt fallibiles & incertæ, pro normâ verâ credendorum vendicari nequit. Si historicus est incertus & fallax, ejus historia nequit esse norma temporum & actorum cognoscendorum.

Ulterius hoc ad usum transferimus contra Philosophiam Bellarminianam: *Scriptura sacra secundum Bellarminum est incerta, lubrica, fallibilis. E. secundum Bellarminum nequit esse norma credendorum, quod est contra Bellarminum.*

*III. Omnis norma debet esse nota.*

Ratio est in promptu, quoniam ex eâ alterius cognitio est habenda: Id autem ex quo in alterius cognitionem deducimur, quatenus tale est, notius esse debet eo, in cujus cognitionem provehimur. Ita si ulnâ pannum normare ac mensurare debeo, nota mihi esse debet ulna, ut nota fiat quantitas panni. Etiam hanc affectionem Bellarm. d. l. ponit.

Hinc elicimus porisma: *Quicquid est obscurum & involutum, non potest esse norma ei, cui est ignotum & obscurum, & in quantum est obscurum.* Ut si obscurum sit Jus Civile, ut cognosci nequeat, non poterit esse norma, ad quam examinentur I C T I conclusiones. Ad obscurum enim ut tale cognitio alterius sequi nequit. Secus ignotum esset notum, & contra, quod contradictionem involvit.

Ulterius hoc ad usum transferimus contra Philosophiam Bellarminianam: *Scriptura S. secundum Bellarminum est obscura & involuta, tenebrosa & intellectu difficillima.* Ergo secundum Bellarminum nequit esse norma articuloꝝ fidei, quod est contra Bellarminum.

*IV. Omnis norma est una & indivisibilis.*

Hoc de normâ mechanica indubitato verum est. Neque enim manebit

nebit regula, si quid de eâ dividas, & plures partes efficias. Si ulnam dividas in partes, non amplius ulna erit. Ita ut in genere de ratione mensuræ sit, esse unum & indivisibile. Ubi tamen distinguendum est inter normam ac mensuram, ut est ens aliquod, & ut est mensura. Ut est ens, omninò dividi potest, cum sit quantum, ut autem est mensura, dividi nequit. Unde si de ulnâ quid abstuleris, erit quidem ens, sed non mensura hæc. Quod etiam ex eo patet, quia aliàs non esset certa, firma, & infallibilis. Idem analogicè dicimus de aliis.

Elicimus hinc porisma: *Omnis norma & regula est additionis & diminutionis experta, in quantum est norma.* Nam si quid addi deberet, esset insufficiens; si aliquid detrahi, foret superflua. Atq; hoc testantur *Theophylactus & Basilius Magnus*, quorum verba citata legi possunt apud *Polan. in syntagm. Theol. l. i. c. 30. p. 42.*

Ulterius hoc ad usum transferimus contra Philosophiam Bellarminianam: *Scriptura sacra secundum Bellarminum requirit additionem traditionum, decretorum Papalium &c.* Ergo secundum Bellarminum nequit esse norma credendorum, quod est contra Bellarminum, qui concedit esse normam. Responderet fortassis quispiam pro Bellarmino, prætendendo argumenta quæ hætenus protulimus, valere solum de normâ totali, non verò de partiali, Bellarminum autem concedere Scripturam esse normam partialem solum, non totalem. Sed quid ad hoc dicendum, in tertio membro manifestum dabimus, ad quod jam accedendum.

### MEMBRUM III.

## PROBLEMATATA DE NORMA.

### QUÆSTIO I.

#### *Cujus disciplina sit agere de normâ?*

Cujus disciplina sit de normâ agere, dubitari potest. Materialis cum sit terminus, vix admittendus videbitur in Sphæram rerum, Metaphysicarum, quippe quæ à materiâ abstrahunt. Et verò nulla disciplina alia agit de normâ, nisi Mechanica. Atqui hæc solum de quantitativâ mensurâ est sollicita. Ubi autem agetur de normâ morali, doctrinali? ubi de ratione normæ in genere? Etenim omninò  
commu-

communis aliquis, licet cum ordine & proportione, conceptis datur de norma, uti haecenus vidimus. Ita materia ex qua & in qua communem conceptum admittunt secundum Metaphysicos praestantes, concessâ inæqualitate. Agamus de normâ, & hujus farinae terminis aliis Metaphysicis, quia commodiorem locum non invenimus. Ubi vel alia disciplina pro hisce terminis ut genuina sedes offeretur, aut alius aliquis commodior locus monstrabitur, haud inviti sequemur, ut qui de rebus potius tractandis, quam de tractandi loco maximè solliciti, hac in parte nihil doctioribus praescribamus. Sequimur hac in re Clariss. Dn. Scheibler. qui eandem ob causam de mensurâ in Metaphysicis tractat.

## QUÆSTIO II.

### *An omnis norma sit corpus continuum?*

Affirmativam statuendam esse apparet, siquidem verum est, quod scribit Bellarm. l. 4. de Verbo Dei c. 12. *Hinc scriptura non est opus continuum, quale esse deberet regula fidei, sed continet varia opera, historias, vaticinia, carmina, epistolas &c.* Syllogismus fit talis: *Regula fidei omnis debet esse opus continuum. Scriptura non est opus continuum. Ergo. Ut accuratius fiat de hac quæstione judicium, hoc modo progredimur: Aut argumentatur Bellarminus ex naturâ regulæ seu normæ in genere, aut normæ doctrinalis, aut normæ fidei in specie. Quicquid horum faciat, contradicimus. Proinde 1. Falsum est normam omnem esse necessariò corpus continuum. Probat 1. ratione: Quodcunq; sufficientia habet requisita ad normæ naturam & officium, illud esse potest norma. Atqui etiam id, quod non est opus continuum, nihilominus habere potest requisita normæ. E. non necesse est, ut omnis norma sit opus continuum. Major per se clara est. Minor prob. Si enim abstrahas corporis continuitatem, manebit & salvabitur nihilominus mensuratio, ut omnia normanda contineat, itemq; certitudo & unitas. 2. exemplis. Nam non absurdum fuerit, si vel maximè norma mechanica ex contiguis sit, non continuum quoddam corpus, quod Mechanici haud inviti dabunt. Sed Bellarm. uti circumstantiæ textus suadent, non intelligit corporis continuitatem Physicam, sed ordinem credendorum & uniforme opus sine mixtura.*

B

histo-

~~40~~  
85



historiarum, concionum &c. Damus ergo aliam instantiam. Nam jus civile & jus Canonicum non sunt corpora continua, sed variis ex operibus constant. Nihilominus controversiarum, normæ salutantur, aut saltem partes Canonis. Ita Aristotelis opera non sunt continuum corpus. Et tamen quibusdam, qui superstitiosè eum in omnibus sequuntur, pro norma dogmatum Philosophicorum colitur. Insuper sunt, qui loquendi normam Ciceronis scripta constituent. At nec illa sunt continuum corpus. Ita constitutiones Politicæ sunt norma actionum civibus, nec tamen sunt tale corpus continuum, quale quidem Bellarminus requirit.

2. *Falsum est, quod omnis norma doctrinalis debeat esse corpus continuum.* Rationes ex præcedentibus huc quoq; referendæ sunt. Uti & 3. *falsum est, omnem normam ac regulam fidei debere esse corpus continuum.* Nam 1. probet Bellarminus, speciatim ad fidei regulam requiri continuitatem, non nudè asserat. 2. Est contra se ipsum. Nam l. 1. de V. D. c. 2. docet, Scripturam sacram esse regulam fidei certissimam, tutissimamque, licet dicat non totalem, sed partialem l. 4. c. 12. Nihilominus licet ita argumentari: *Omnis fidei norma est opus continuum secundum Bellarm.* *Norma partialis fidei Bellarmino non est opus continuum.* *E. norma partialis non est norma,* quod involuit terminorum repugnantiam. Ergo si placet, ita: *Norma partialis, nempe scriptura, non est opus continuum, Norma partialis est norma fidei.* *E. quadam fidei norma non est opus continuum,* id quod erat demonstrandum.

Si quis dicat, Bellarm. solum velle omnem normam fidei totalem debere esse corpus continuum, nihil exceptio promovebit. Argumentabimur enim ita: *Omnis fidei norma totalis debet esse corpus continuum.* *Norma fidei totalis Bellarmini non est corpus continuum.* *E. norma fidei totalis Bellarmini non est norma,* & ex consequente *norma totalis non est norma totalis.* Manifestissima contradictio. Minor prob. quia Bellarmino est Verbum Dei norma totalis, quæ comprehendit in se verbum scriptum & traditiones. Jam quis dicat hæc duo esse unum corpus continuum? Inprimis, cum scriptum verbum, urgente Bellarmino, non sit continuum.

Unum est, quod prætendi posset, nempe Bellarmini mentem non esse hanc: *Omnis norma fidei est opus continuum,* sed hanc: *Cujuscunq;*

juscunq; operis finis est precipuus, ut sit regula fidei, illud debet esse continu-  
um, &, quod non est corpus continuum, ejus finis precipuus non est, ut sit  
fidei regula. Id quod innuere videntur verba præcedentia: Igitur fi-  
nis precipuus scripturæ non est, ut sit regula fidei, sed ut variis documentis,  
exemplis, adhortationibus, nunc terrendo, nunc instruendo, nunc minando,  
nunc consolando, adjuvet nos in hac peregrinatione. Verum 1. Verba  
ante allegata absolutè de regulâ fidei loquuntur. 2. Unde probabi-  
tur id, cujus finis præcipuus est esse normam fidei, debere esse cor-  
pus continuum? Ratio afferri nulla potest. Consentaneum po-  
tius est, aliquid esse principali fine fidei regulam, non tamen opus  
continuum, propter fines minus principales, cum tamen non esse cor-  
pus continuum, rationem normæ seu regulæ non impediat. Ita  
fortassis major procederet, & facilius toleraretur: *Quicquid solum  
in hunc finem propositum est, ut sit regula fidei, illud est corpus continuum.*  
Sed ne sic quidem fatis adesset firmitatis, cum in symbolis inter-  
dum non sit tanta continuitas. Sunt, qui etiam ad *minorem* Syll-  
ogismi Jesuitici respondeant, dicentes Scripturam esse corpus conti-  
nuum. Verum nos pro nostro instituto manemus in examine ma-  
joris.

### QUÆSTIO III.

*An quod est norma credendorum, ex sine precipuo,  
debeat continere omnia & sola cre-  
denda?*

Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 12. negans primarium & præ-  
cipuum finem esse scripturæ, ut sit regula fidei, argumentatur  
hunc in modum: *Cujuscunq; operis finis precipuus est, ut sit regula fi-  
dei, debet 1. continere omnia, quæ ad fidem pertinent, & sola illa, sicut  
videmus factum esse in Symbolo, quod verè dicitur, & est compositum, ut  
sit brevis regula fidei. At in scripturis plurima sunt, quæ per se non perti-  
nent ad fidem, & multa sunt credenda, quæ non sunt in scripturis. Ergo.  
Minoris examen ad Theologiam pertinet. Nos hac vice exercitii  
Philosophici causa in majore veritatem indagabimus, ubi 1. Bel-  
larm. nobis telum offert adversum ipsum vibrandum, dum Symbo-  
lum Apostolicum allegat. Neq; enim potest Bellarminus concedere,  
omnia ad fidem Pontificiam per se pertinentia in eo comprehensa,*



*ut missam, adorationem consecrati panis, baptismi characterem, & innu-  
 mēra alia. Et tamen ipsi dicitur esse regula fidei. 2. Similiter nec  
 omnia in Symbolo Apostolico contenta per se ad fidem pertinent,  
 ut circumstantia personæ Pontii Pilati. 3. Ut scriptum aliquod sit  
 norma, sufficit, si omnia, quorum est norma, in eo continean-  
 tur, & ad illud exigi queant. Si plura præter normata contineat,  
 est hoc contingens & per accidens, nec quicquam de naturâ veræ  
 normæ decedit: Cum propter alias causas ea, quæ per se ad nor-  
 matum non pertinent, normæ fortè sint inserta. Philosophicè igitur  
 rem considerando ad quæstionem propositam respondemus,  
 necessarium quidem esse ad normam, ut omnia, quorum debet esse  
 norma, in eâ (saltem implicite) contineantur, ut ad eam exigi  
 queant; non tamen necessarium esse, ut illa sola, quæ ad id per  
 se spectant, cujus ratione norma dicitur, in eâdem contineantur.  
 Illius rationem damus hanc, quia secus norma esset manca & mu-  
 tilla. Jam normam esse, & indigere adjectione involvunt contra-  
 dictionem. Hujus verò, quia posito, plura, quam ad rem norman-  
 dam pertinent, contineri in normâ, nihilominus officium normæ  
 permanet: Ut licet plura contineantur in jure civili, quàm ea,  
 quæ præcisè ad jus pertinent, tamen potest esse norma actionum,  
 juris. Atq; hæc ductu rectæ rationis ad majorem dici possunt, ad-  
 eoq; de quæstione nostra.*

#### QUÆSTIO IV.

*An omnis norma adæquetur suo normato?*

Videtur hæc quæstio vel fluere ex præcedente, vel eidem affi-  
 nis esse. Nam adæquatè se habere aliquid ad aliud est reciprocari  
 cum aliquo, & eodem nec latius esse, nec angustius. Jam si norma  
 nihil continet, nisi normata, & omne quod est in normato, etiam  
 est in norma, eo ipso reciprocatio statuitur. Cæterum affirmativam  
 sententiam habet & urget Polanus l. 1. Syntag. c. 30. eam inquit: *Scriptu-  
 ra sacra aut totalis Canon est fidei & bonorum operum, aut omnino Canon  
 non est. Propositio disjunctiva certa est, quia mensuram oportet esse adæ-  
 quatam mensurato, regulam oportet adæquari rei, cui adaptatur. Debet  
 aptissima convenientia esse inter regulam, & id, cujus regula est. Si ergo fi-  
 des longior vel latior est, quàm scriptura, tum scriptura non est fidei regula,  
 aut si*

aut si est, adæquata sit fidei, necesse est. Hactenus Polanus. Nos ad di-  
judicandum, quid sit statuendum, dicimus 1. De norma & regula  
ratione non est adæquatio, nec necessarium est ea ad normam requisitum,  
intelligendo normam quantitatis, & mensuram quantitativam. 2. Adæqua-  
tio non necessario requiritur ad mensuram & normam theoreticam & doctri-  
nalem. 4. Adæquatio non requiritur ad mensuram perfectionis. Probatur  
primum membrum, quia non datur solum norma quantitativa vel  
mensura adæquationis, cum exactè conveniunt quantitas mensuræ  
& mensurati, sed etiam repetitionis, quando quantitas mensurati  
excedit quantitatem mensuræ, estq; ad mensurationem opus repe-  
titione applicationis mensuræ. Hæc igitur mensura est inadæquata.

Probatur secundum, quoniam negari non potest, quod scriptura  
multa contineat, quæ non sunt fidei per se, seu non sunt articuli  
fidei salvificæ, ut sunt historiae, item assertiones de rebus naturali-  
bus &c. nihilominus tamen scriptura dicitur norma & regula fidei,  
siquidem sufficit, omnia quæ sunt normanda, ad normam exigi  
posse. Ubi obiter notari potest, videri sibiipfi Polanum in hac ma-  
teriâ adversari, siquidem p. 40. ita ait: *Nec hoc simpliciter verum est,  
regulam fidei ea tantum continere debere, quæ præcisè & ex se ad fidem per-  
tinent, & ad salutem necessaria sunt: quia, in Symbolo Apostolico sit Pontii  
Pilati mentio, quæ ex se & præcisè ad salutem necessaria non est. Alioquin  
Patres in Symbolo Nicæno illò celeberrimo, Athanasius in Symbolo ab Eccle-  
siâ recepto, alii item Patres in symbolis suis eam minimè prætermisissent.*  
Si hæc vera sunt, quod hîc non disputamus, adæquatio mensuræ ac  
normæ cum normato defendi nequit, cum quod plus continet,  
nequeat adæquatum esse ei, quod minus continet. Interim liben-  
ter largimur, normatum non debere esse longius aut latius quid  
normâ suâ, ad quam venit examinandum.

Probatur tertium facillimè, quia ad mensuram perfectionis,  
requiritur, ut in eâ sit eminentia ratione mensurandorum. Ubi au-  
tem debet esse eminentia, ibi debet esse inæqualitas. Ubi requiri-  
tur inæqualitas, certè adæquatio locum habere nequit. Sic Deus  
dicitur esse mensura omnium Creaturarum. Quis verò ausit affir-  
mare, Deum in perfectione adæquari Creaturis: Homo est men-  
sura viventium. Tamen major in homine est perfectio, seu plus  
perfectionis, quàm in aliis.

## QUÆSTIO V.

### *An norma alia sit totalis, alia partialis?*

Affirmat Bellarm. cujus verba l. 4. de V. D. c. 12. hæc sunt: *Dico secundo, scripturam, etsi non est facta precipue, ut sit regula fidei, esse tamen regulam fidei non totalem, sed partialem. Totalis enim regula fidei est verbum Dei, sive revelatio Dei Ecclesie facta, quæ dividitur in duas regulas partiales, scripturam & traditionem, & paulò post: Scriptura est regula partialis, inde illi accidit, ut non omnia mensuret, & propterea aliquid sit de fide, quod in ipsa non continetur.* Contra Bellarminum disputat Polanus in *Syntagm. l. 1. c. 30. pag. 43.* ejusq; sententiam de normâ partiali accusat, 1. *novam* cum ante Bellarm. nullus eam agnoverit. 2. *ridiculam*, quia stolidum sit regulam dicere, & totalem esse negare, cum regula non sit, quod totaliter non mensurat mensuratum, quasi quis dicat, ulnam esse semiulnam respectu ejusdem. 3. *hereticam*, quia Bellarm. eam mutuatus sit ab *Eunomio*. 4. *absurdam*, quia ex eâ sequatur 1. aliquid esse regulam, quod additionem admittit. 2. regulam imperfectam posse nihilominus hominem perfectum reddere ad omne opus bonum ex *2. Tim. 3. v. 15. 16.* 5. *ἀσύνετον*, quia 1. seipsam evertat, cum, quod additionem admittit, ne regula quidem sit. 2. neget Bellarm. alibi scripturam posse esse regulam fidei, quia non sit opus continuum, cum verbum scriptum & non scriptum minus possint esse continuum corpus.

Hac in controversia nos dicimus, 1. *Proprie loquendo omnis regula est totalis, nulla partialis.* Ratio est. *Regula est mensura mensurans omne id, cujus est regula ac norma. Regula partialis non est mensura mensurans omne id, cujus est regula. E. regula partialis non est regula.* Major probatur ex definitione regulæ. Minor probatur, quia ideò Scriptura Bellarmino est partialis, non totalis norma, quia non omnia mensurat. 2. Videtur tamen Bellarminus intelligere per partialem normam partem, normæ, per totalem ipsam normam. Jam normam admittere etiam partes sui, negari non potest, siquidem scriptura, quæ est fidei norma, constat lege & Evangelio tanquam partibus, item distinctis libris, Prophetiis, Apostolicis, historiis etiam & Concionibus &c. Idem patet etiam exemplo *juris Civilis, Canonici &c.* Hoc ergo modo quoad rem nihil absurdi Bellarminus voluit, quantum ad rationem  
normæ





normæ attinet. Veruntamen 3. *incommoda* & *Bellarmini* locutio jure re-  
prehenditur, cum planè distincta sint, esse partem alicujus, & esse ali-  
quid partiale.

#### QUÆSTIO VI.

*An communis norma ac regula debeat etiam ex parte  
hominum facilis esse cognitu & perpetua?*

Affirmat hoc *Gregorius de Valentia de analysi fidei Catholical. s. c. 2.*  
Unde porrò colligit, scripturam sacram non esse normam com-  
munem fidei, quia non sit ex parte hominum facilis cognitu & per-  
spicua. Sermo, ut patet, est de norma dirigendi intellectus ad  
assentiendum, & sic de regula doctrinali. Proinde, (ut *minor* ad Theo-  
logiam pertinens dimittatur) in *major* non simpliciter concedimus  
assertionem Valentiani, sed potius distinguimus 1. inter perspicui-  
tatem universalem & perspicuitatem sufficientem. 2. inter homines  
stupidos & rectè se habentes ac intelligentes, & sic limitamus: *Com-  
munis regula statuendi debet esse ex parte hominum intelligentium, & in qui-  
bus est ad iudicandi, esse perspicua vi perspicuitate, quâ omnia eâ credendum  
proposita necessaria cognosci sufficienter possunt.* Universalem perspicui-  
tatem ratione singulorum contentorum rigorosioris erit æstimatoris  
requirere.

#### QUÆSTIO VII.

*An id possit esse regula, quod facilè adulterari  
potest & ad abusum flecti?*

Ex negativâ concludit *Valentianus* iterum, scripturam non pos-  
se esse regulam fidei. *l. 5. de analysi. c. 4.* Frustra. Neque enim absur-  
dum, aliquid esse statuendi regulam, quod per accidens facilè ad ab-  
usum flecti possit, modo in se ac per se sit firmum ac stabile. In-  
stantiæ loco urgemus, 1. *Traditiones.* 2. *Patrum scripta.* 3. *Jus Civile*  
& alia scripta, quæ licet sint corruptioni ex accidente ob-  
noxia, nihilominus pro regulis habentur. Adde quod,  
hac ratione scriptura ne quidem partia,  
lis norma esse posset, quod est

contra *Bellarmini*

*num.*

*Lite-*



Literatissimo Dn. RESPONENTI.

**Q**uæ fidei sit norma, piæ quæ regula vitæ,  
lis est ambiguus multùm agitata modis.  
Ardua arena! Fides sine fulcro mortua res est:  
Si careat firmo tramite vita, nihil.  
Atqui etiam, quæ sit norma natura, quis usus,  
quæ lateat virtus, explicuisse juvat,  
Ni patulas vibrare velis vaga tela per auras,  
Et linguâ multum dicere, mente parum.  
Maçte animo, WENNERE, Tibi Scriptura revelat,  
quid sincera siet vita, quid alma fides:  
Philosophia docet, quidnam sit norma. Decenter  
sic poteris dignâ cognitione frui.

l. m<sup>q</sup>; f.

M. ANDREAS KESLERUS.







Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,

VD 17  
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

85

R M A

ITATIO

spicio

TRINITATIS

errima

SI ACADEMIA

IDE

KESLERO,

acultatis Philosoph.

ncto,

DENTE

ANGO WENNERO,

nfi Franco,

a die 11. Octobr.

meridianis

io Majori.



BERGÆ,

CHRISTIANI THAM,

Typogr.

DC XXIII.

85

